

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**D. Gebh. Theodori Meieri Theologi & Prof. in Academia
Julia Antichiliasmus Absolutissimus**

Meier, Gebhard Theodor

Helmstadii, 1696

§. LXXIII.

urn:nbn:de:bsz:31-105465

LXXIII. Hypothesis xix. Sancti in regno millenario non morientur, sed totos illos M. annos vivendo explebunt. Ita Chiliastæ nostrates statuere jam supra num ix. & x. ipsorum testimoniis est declaratum. Sed graviter hic impingunt in thesin. 12. ubi ostensum est, moriendi necessitatem toti generi humano, quicumque ex posteris Adami nascentur, impositam esse, neque ullum, nisi mere per accidens ab illâ absolvi posse. Atque hæc præcipua sunt ex illis, quæ in ipso regno Chiliastico sibi promittunt, qui D. Animadvertentem ejusque Nobilissimam Conjugem sequuntur. Quod si enim omnes & singulas hujus regni & felicitatis circumstantias hic congestas exhibere voluissim; tum utique illarum summa ultra ipsum quos regno huic determinant, annorum numerum excrevisset. Restant itaque paucis jam a solvendæ, hypotheses *de his, quæ millennalem hanc beatitudinem sunt subsequutura.*

LXXIV. Hypothesis xx. Christus M. annis regni præterlapsis, seu immenso illo nuptiarum die expleto, abdicabit regni sui administrationem, & Patri, à quo acceperat, eandem reddet, fietque tum ipse Patri subjectus, quod iisdem fere verbis docet D. Animadvertens sub finem §. 27. in Animadversione. Atque eo tendunt etiam quæ in *Glaubens-Gespr.* p. 86. docentur, quod scilicet tum desituri sint fideles esse super urbes 10. aut 5. &c. Hinc §. 29. locum illum 2. Tim. IV. 1. obtestor te coram Deo & Domino nostro Jesu Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos in illustri adventu & regno suo, non posse accipi de judicio extremo docet: Ratio ipsius est, quoniam in judicio extremo Christus regnum suum Patri tradet. Argumentum erit tale:

Quodcumque judicium Christus habebit in regno